

Am. 531, 26

B. n. II

II c  
48


GENERO SVO DILECTISSIMO  
VIRO  
SVMME REVERENDO AMPLISSIMO  
ET DOCTISSIMO  
**IOANNI FRIDERICO  
REHKOPF**

S. THEOLOGIAE DOCTORI  
MVNVS PASTORIS PRIMARI SVPERINTENDENTIS  
GENERALIS ET PROFESSORIS THEOLOGIAE  
ORDINARI  
HELMSTADIENSIS

GRATVLATVR  
SIMVLQVE  
SPECIMEN  
OBSERVATIONVM ETYMOLOGICARVM CIRCA NOMINA  
PROPRIA REGIONVM VRBIVM ET FLVVIORVM  
E LINGVA GRAECA DERIVATA

OFFERT  
IOANNES GOTTFRID WELLERVS

SVPERINTENDENS ZVICCAVIENSIS  
ANNO MDCCLXX



ZVICCAVIAE TYPIS HOEFERIANIS





© 1793  
JOHANN WILHELM  
TUBIKOPF

JOHANN WILHELM  
TUBIKOPF  
1793







**I**d quod Deo, TIBI, Vir Doctissime, et mihi metipſi debeo, hoc ſtudio, hiſce plagulis, hac occaſione explicandum ſumo. Eo maiori enim cura et diligentia Deum celebrare, ac beneficia diuina, TIBI, Tuiſque, etiam mihi, TE in oculis ferenti, collata praedicare me decet, quo magis mihi de peculiaribus, in conferendis muneribus ampliffimis, quae ſub auſpiciis numinis ſanctiſſimi ſuſcipis, prouidentiae diuinae documentis mihi conſtat. Verum et amoris, quo per pluriſimos annos me amplexus es, et quem merito magni facio, ſimulque animi, qui TIBI ineſt, integri, et qui nulli melius, quam mihi, cognitus eſſe debet, etiam doctrinae ſatis vbiuis probatae teſtimonium vt perhibeam, meum eſſe ducō. Nec mihi metipſi deeſſe poſſum, qui non ſanguinis ſolum vinculo, ſed plus etiam, quam paterno affectu TECUM coniunctus, me-

a 2 um



um erga TE amorem publice declarare debeo. TIBI igitur, Tvo amori, TVIS prosperis euentibus ita gaudeo, vt nullus magis, quoue erga TE affectus sum, animum hisce publicis literis palam facio. Ne vero nudis verbis TE demulceam, vt potius TIBI aliquid, quod aliquo modo, placere possit, exhibeam, dissertatiunculam addo, declarando, me TVI causa operam impendere et studia mea TIBI consecrare. Amice igitur ea accipere velis, quae dignitatis acceptae gaudio affectus, scribo, quaeue in *συμβολον* amoris TIBI dico.

**E**t specimen quidem offero obseruationum Etymologicarum circa nomina quaedam propria regionum, fluviorum et vrbium, e lingua graeca deriuata, postquam alias meditationibus hisce indulsi. a) Filum igitur olim inceptum protrahere et regiones peragrando, populos, vrbes, montes, flumina considerationi meae subijciendo, origines nominum, quae ex antiquissimis ad nostra peruenerunt tempora, inuestigare, explicare et illustrare cogito. Ducibus vero graecis iter ingredior, et id negotii suscipio perficiendum, qui ad terras, quas barbaras vocabant, Coloniis illuc emissis, penetrantes, b) monumenta nominis sui ibi reliquerunt plurima, et orbem fere totum peragrantes, eam, quam de antiquissimo regionum statu habemus, nobis suppeditarunt notitiam. Et in ea quidem adhuc sum haeresi, prouinciarum et vrbium, quae vel Graecis cognitae vel ab eorum coloniis conditae fuerunt, plurima nomina e graeca lingua deriuanda esse, Graecos populorum, fluviorum, regionum et oppidorum denominationes, ab ipsis suis incolis prius inuentas, mutasse, et ex sua, non barbara lingua petitas, ad nos transfuisse. Non is vero ego sum, qui in me suscipiam, omnia ea nomina, a Graecis originem ducentia, interpretari. Nominum enim prisco quoque aeuo permutationes factas permultas, c) praeterea a leuibis quandoque rebus rationem denominandi desumptam esse, apud Strabonem legitur. d) Quis igitur origines nominum saepius immutato-

a) vid. *Miscell.* Lips. nov. Tom. X, P. I.  
p. 134. seq.

*Hein. Petri.* Anni 1540. L. III.

P. 149.

c) *Strabo* I, c. L. XVI, p. 744.

b) vid. *Strabonis Geograph.* Edit. Basl.

d) *Strabo* I, c. L. XIII, p. 584.



rum; ex causa minuta nobis incognita, historiola, quae nos latet, aut externa loci facie, quam videre nobis nunquam contigit, deriuatorum omnes perscrutari audeat? Idem meum sentit C. Z. ab Vffenbach, Francofurdenſis olim Reipublicae decus inſigne, et eruditionis lumen egregium, qui in literis ad Ernestum Martinum Plarre, pro ſuo, quo pollet, iudicandi acumine, vere pronuntiare mihi videtur: ex lingua graeca multarum urbium nomina composita habemus, quorum tamen longe minor ratio apparet. e) Et in eis quoque locorum nominibus, de quibus certo conſtat, ea graeca eſſe, quandoque difficile eſt, argumentum denominandi inuenire. Exempli loco eſſe poſſunt Corſica Inſula, quam a Graecis Cynnon eſſe vocatam, et Inſulae huius vrbes Aetalia, Planafia, Pandatana, Pythecufa etc. quas itidem a Graecis nomen habere Plinius autor eſt; f) Quorum vero nominum e graeca lingua explicatio magnis implicita eſt difficultatibus. Quod ſi vero nominis, vrbi, prouinciae aut flumini proprii, in graeca lingua clara veſtigia extant, et in ipſo illo loco quaedam cognoscitur proprietates, ipſi nomini graeco reſpondens, Graecos quoque vel ibi commemoratos eſſe olim, vel in monumentis ſuis relictis eius mentionem iniicere, conſtat, tuto conici poſſe credo, illud ipſum nomen loci eſſe Graecum et a graecis originem duxiſſe.

Ad ipſas Obſeruaciones Etymologicas mentem et calamum ſlecto, quorum principium eſto in Italia. Nec mirum cuiquam videatur, in Italia graecas vrbes, graecaque urbium nomina quaeri, cum olim Graeci non ſolum crebro illuc appulerint, ſed repetitis etiam vicibus colonias in illas terras emiſerint. Iuſtinus enim in ſuis Hiſtoricis Commentariis Dionyſii Regis Siciliae aeuo non partem, ſed vniuerſam ferme Italiam Graecos occupari contendit, dinumeratis etiam ſpeciatiim iis populis, qui a Graecis orti in Italia fixas ſedes poſuerunt, Piſis, Tarquiniis, Peruſinis, Falifcis, Nolanis, Abellanis, Brutiis, Sabinis, Samnitibus, Tarentinis etc. vt inde Italia quoque Graeca Magna appellata ſit. g) Quid vero teſtimoniis opus erit in re clariori, quam quae clariffima, a variis quoque explicata et illuſtrata? h) Ipſa antiquiſſima Italiae nomina ea in re teſtimonium praebent, quae Graeca fuerunt et a Graecis originem ducunt. Heſ-

a 3

periam

e) vid. *Commerc. Epiſt. Vffenbachiani* Selecta, Tom. III. p. 7.

f) vid. *Plinii Hiſtor. natural.* L. III. c. VI.

g) vid. *Iuſtin.* in *Hiſt. Trogi Epiſt.* L. XX.

c. I. 2. praeterea *Plinius* I. c. L. III. c. 5.

b) v. *I. Barth. Martiani*, de *Ant. Romae Topogr.* c. 2. *P. Leon. Caſellae* de primis Italiae *Colon.* in *J. G. Graecii* *Th. Antiq. Ital.* T. I. P. II. p. 6. ſeq.



periam enim cognominarunt eam absque dubio ab ἑσπέρα, vespera, quod Graecis Italiam petentibus Occidentem respiciendum erat. Apud priscos etiam Oenotriam esse dictam testatur historia, et a voce quidem graeca, ὄνον, vinum, quod Italiam vini fertilissimam inuenerunt Graeci. Quin ipsum Italiae nomen, nobis, cum alia perierunt, notissimum, graecae originis esse, Varro olim Historiae Romanae callentissimus simulque Timaeus Siculus tempore Agathoclis Tyranni Siciliani Historiarum autor egregius, a graeco Ἰτάλλη, quod apud Veteres bouem indicabat, Italiae denominationem ortum habere docent; et eo quidem, quod boues Italia aluit et eximios et magnos. i) Capiti quondam non Italiae solum, sed vniuersi fere orbis, vrbi Romae ab autoribus antiquissimis graeca origo adscribitur. Romani enim a Romulo exstructam et nomen accepisse neququam extra dubitationis aleam positum est, et prisci quoque autores ea in re haesitarunt. Id vero certum, Romam a Pontico Heraclide graecam urbem vocari apud Plutarchum, l) et a Caecilio Historico Romano apud Strabonem, m) et esse, qui velint, Romae Vocabulum ab Euandro datum, qui in Italiam ex Arcadia veniens, iam oppidum ibi exstructam inuenerit, Valentia dictum, seruata significatione impositi prius nominis, a graeca voce ἐύμη, potentia, Romam cognominauerit, vti Solinus testatum reliquit. n) Id sane extra dubium, in origine et vrbis et nominis Romani arcani quicquam latuisse, quod ab ipsis Romanis sedulo occultatum fuit, cum ii Valerium Soranum, qui proprium Romae nomen contra edictum eloqui ausus foret, neci dederunt. o) Ea hac in re mea est sententia, a Graecis certe primum Romam conditam, et postea a Romulo instauratam et ampliatam esse. p) Si Roma vero ortum et nomen Graeciae debet, annem quoque eam alluentem a Graecis nomen nactum esse conijcere debemus, et Tyberim olim Albam seu Albulam dictam, q) quidam quasi τὴν ὑβζων a contumelia vocatam esse perhibent, quod rex, qui in eius ripis dominabatur, iniuriis et contumeliis in obuios quosque grassabatur, et eam regionem crebris latrocinis infestabat, qui etiam circa hunc fluium occisus, et in eum proiectus dicitur, r) Et quidni Tiberis nomen accipere potuisset, a voce Τιβζην, quae

i) vid. *Roberti Stephani* Dictionarium Nom. propriorum virorum, etc. ad vocem Italia.

l) v. *Plutarch.* in Camillo, Tom. I. operum, p. 140.

m) *Strabo* l. c. L. V. p. 160.

n) v. *C. T. Solini Polyhistor.* c. 2.

o) v. *Plinius* l. c. L. III. c. 5. *Solinus* l. c.

p) vid. *Iulii Minutoli* Dissert. septem Rom. antiq. illustrand. in A. H. Salengre nouo Thesauro Antiq. Rom. T. I. p. 10.

q) vid. *Ouidius* in Fast. L. II. v. 389. et *Virgilius* Aeneid. L. VIII. v. 332.

r) *Hon. Seruius* in Comment. ad L. VIII. v. 33. Aeneid. *Virg.*



quae praeter alia, testantibus ipsis Lexicorum graecorum autoribus, etiam significat ferox, cum rapaci fluxu aquas suas Tiberis trahit; cui conjecturae eo accedit quicquam ponderis, quod Thiberis olim fuerit hoc nomen expressum, originem suam, graecum Θ per Th exprimendo, prodens. Prouinciariam quoque et aliarum urbium istius regionis graecas origines ipsi autores prisca agnouere. Umbriam enim Italiae prouinciam celeberrimam nominatam esse, quod tempore aquosae inundationis imbribus superfuerunt Umbri, et hinc a graeco ὑμβρέω, Solinus et Plinius consentiunt, s) et Rhegium, extremum Italiae oppidum, a dehiscendo, ῥήγιον Graecos dicitasse, quod ibi Sicilia ab Italia credatur auulsa, et hinc a graeco ῥυγνύω, rumpere, idem ille antiquitatum in plurimis felicissimus interpres Solinus tradidit. t)

His in antiquitatum monumentis ipsis repertis Etymologiis conjecturas quasdam adungere liceat, et primum quidem PADI, fluiui in Italia celeberrimi, quem propterea Graeci Ἡρίδαρον, κατ' ἐξοχὴν fluiuium cognominarunt, u) Plinium, ipso consistente, pudet, a Graecis Italiae rationem mutare, sed Metrodorum quandam Septium sequitur, e lingua gallica Padi nomen deducendum; quoniam circa fontem arbor multa sit picea, quae Pades gallice vocetur, inde Padum hoc nomen accepisse credit. u) Cum hoc vero nobis longè peti- tum videtur, et forsitan nomen inuentum est, antequam fons hic inuestigabatur, aliam denominationis huius originem quaerendam puto, quae ex mea sententia inuenitur in Voce πάρος, coenum, cum lutosam vehit aquam, qua, teste Plinio, inundans et fecundans agros x) coenum in agris relinquit. ADRIAM urbem Illyrico mari proximam, quae et Adriatico mari nomen dedit, graecam urbem esse Iustinus nos docuit, y) quam ab α privatiuo et Δρῦς arbor nomen habere, et locum a siluis vel arboribus vacuum designare suspicamur. CVMMAE vel secundum alios CΥΜΕΣ, Campaniae urbe quid in antiquitate magis est celebratum, et quid futuri illius loci magis conforme, quam si id nomen deriuetur a Κύμα, unda, quippe quae ad mare Tyrrhenum sita et Acherusiae paludi proxima, urbs aquis abundans, humida, s. ad aquas aedificata, iure potuit dici? ANTIUM, ad mare positum oppidum, ab ἀντροῦξ, semicirculus et superior rota, nomen traxisse videtur, quod promontorium, cui adhaeret urbs, semicirculi figuram habet et mare id circumsepit. Quocum et aliud alio loco in Antii confinio proprium con-  
fen-

s) Solinus l. c. 8. Plinius l. c. L. III. c. 14.

t) Solinus l. c. XI.

u) vid. Miscell. Lips. Noua T. X. p. 147.

v) Plinius l. c. L. III. c. 16.

x) vid. Plin. l. c.

y) vid. Iustinus l. c. L. XX. c. 1.



fentit nomen. Circum enim promontorium, a mari circumdatum, a graeco κίρκος, Circus, seu κίρκω, circumdo, originem graecam luculenter prodit.

Annis ANIO, qui supra Romam aquas suas cum Tiberi miscet, inde suam denominationem ab *άνω*, supra, accepisse, intellectu facillimum est. ΡΟΜΡΤΙΝΑΕ dubio procul, pontinae sunt paludes, a *πόντος*, mari, ita appellatae, quo nomine etiam a Dione Cassio notantur. z)

Sed de Italia satis: qua relicta, in Galliam tendo, ibi etiam nomina locorum graeca inuestigaturus. Illuc Graecos quoque intrasse, et MASSILIAM praesertim Graeciae Coloniam et Phocensium quidem fuisse, testimoniis luculentis et indubitatis constat. a) Phocensium enim ex Asia iuventus temporibus Tarquinii, regis Romani, ostio Tiberis inuecta amicitiam cum Romanis iunxit, inde in ultimos Galliae sinus nauibus profecta, Massiliam inter Ligures et Seras gentes Gallorum condidit. b) Massiliam vero a *μάσσην*, longe seu longius, et *λίαν*, nimis, deriuatam, et inde argumentum appellationis desumptum esse, cognoscitur, quod Phocenses, longius a patria progressi, sedes ibi fixas posuerunt, et ea colonia prae aliis omnibus a Graecia tunc temporis fuit remotissima. Praeter Massiliam et ΑΓΑΤΗΑ, Volcorum ciuitas, clare nominis sui originem nullibi, quam in graeco *άγαθός*, bonus, quaerendam indicat, a Massiliensibus, teste Strabone et Plinio, aedificata. c) Cui adiungenda sunt Olbia, a graeco *ὀλιβίος*, felix, Athenopolis ab *άθηνάϊς* et *πόλις*, Nicaea in confinio Alpium a *νικαία* vinco, Auenium, hodie Aignon ab *αύαίω*, sicco, arefacio, quod in terra arida aedificata erat, nomina sua deriuant vrbes. d) STOCHADES, Insulae in Mari Mediterraneo, a Graecis quoque nomen naetae sunt, apud quos *στοχάδες* sunt oleae per ordinem confitae. Et Rhodano Galliae flumini graecos Massilienses nomen dedisse, ex eo facile vt credam inducor, quod imperium sibi in illud vindicarunt, et a transeuntibus vestigal exegerunt. e) Praesertim cum vox graeca *βώδεις*, fluctuosus, et *ένομοι*, fluo, interpretationem facillimam reddat.

Nimis temere forsan agere videor, si nominis Britanniae explicationem e graeca quoque lingua petam. Sed eam maxime insignem Insulam Graecis quoque

z) vid. Dio Cass. in H. R. L. 44. seqq. C. Cellarii Not. O. Ant. T. I, L. II, c. 9. p. 811.

a) vid. Pomp. Melo de Situ Orb. L. II, c. 5. Strabo l. c. L. IV, p. 171. Plinius l. c. L. III, c. 4.

b) Justin. XLIII, c. 3.

c) vid. Strabo l. c. L. IV, p. 174. Plinius l. c. L. III, c. 4.

d) de quibus vrbibus vid. C. Cellarius l. c. T. I, L. II, c. 2.

e) vid. Strabo l. c. L. IV, p. 175.



que clarum fuisse Plinius affirmat: f) nec contorta dici potest explicatio, a vocula *βῆ*, qua Graeci augendae et intendendae significationis causa vtuntur, et *αράνω*, *τῶνω*, extendo, vel potius *τῶνω*s extensus, longus. Est enim Britannia, insula maxime extensa, et prae aliis in eadem maris regione amplissima.

Longius progredior ad Europae terminos in Hispaniam, certus et ibi vestigia Graecorum deprehendi. Ad sacrum certe promontorium Herculis aram stetit, illic Graecos, et forsan Vlyssen quoque venisse, vnde Vlyssaea vrbs et Mineruae templum in Hispania cum monumentis quibusdam graecis, parvis rostrisque naualibus ibi appensis; porro supra flumen Tagum inter Callaicos, quosdam ex Teucris focis habitasse ibique oppida Hellenica et Amphilochem condidisse; Messinenses ex sententia quorundam Coloniam in Hispaniam traduxisse, docet et probat Strabo, Geographorum prisci aevi facile princeps. g) Et Iustinus autor est, GALLAECOS, qui ab aliis male Callaeci vocantur, gentem ad Durium amnem habitantem, graecam sibi originem et a Teucro quidem asseruisse, qui primum loca, vbi olim Carthago noua erat, occupauerit, inde Gallaeciam transierit. h) Praeterea vestigia nominum graecorum in Hispania, Graecos ibi habitasse, satis testantur, e. g. GADES, quae γάδειρα est, Insulam extra Herculis columnam, dictam esse, quasi γᾶς θεῖον, quod in sinibus terrae tunc cognitae sibi persuadent quidam graecae linguae interpretes. i) Eodem iure, promontorium, quo Herculis Columnae erectae stetit dicuntur, Graecis vindicandum est; ibi enim est CALPE, quod nomen prius portui, postea vrbi et demum monti imposuerunt, cuique congrua origo assignari potest a κάλπη, pelui, angusto sinu maris, qui ibi est, et portui inseruit. BAETIS flumen in sinum Gaditanum aquas suas effundens, nomen a graeco βάθος, profundum, accepisse Carolus Stephanus credit. k) ASTA, nomen Hispaniae vrbs, certe Graeciam redolet, ac si ab ἄστν, vrbs, descendat, et κατ' ἔξοχην ita sit appellata. Fluvius ANAS, qui supra Batim est, accepisse videtur nomen ab ἄνα, supra, Graecis hoc ei imponentibus, qui ad Columnas Herculis sedes fixerant. CALLE vrbs ad Durii amnis ostium mutuata est forsan nomen a graeco κάλῆς, pulcher.

Ex Europa in Africam transeo, vbi certe felici successu graeca nomina perscrutabimur, cum tota fere Africa graeca sit, ex Graecis vero, quae ibi

b

occur-

f) Plinius l. c. L. IV. c. 16.

g) v. Strabo l. c. L. III. p. 129. 142. 148. 149.

h) v. Iustin. l. c. L. XLIV. c. 3.

i) Dict. Graeco latinum locuplet. p. G. Budaeum, Tojanum, C. Gesnerum, A. Iunium, R. Constantinum, etc. Fol. Bas. 1572. ad h. v.

k) v. Caroli Stephani Dict. p. 403.



occurrunt nomina, non omnia, sed pauca quaedam annotabimus. De Africae vero nomine iam alibi diximus. l) Eius pars et quidem insignis NUMIDIA est, quam incoluere Numidae a studio rei pecuariae seu a graeco verbo νομείω ita cognominatae, teste Solino. m) ΜΑΥΡΟΣ his conterminos, Samuel Bochartus more suo nomen ex Ebraea lingua mutuasit et quasi מַאֲרֹס a מַאֲרֹס praeposito, et מַאֲרֹס postremos vel occidentales esse dictos sibi persuadet. n) Quidni vero eodem iure in lingua graeca hoc nomen quaerere, et a μαυρός, obscurus, deriuare liceat, vt ei igitur genti hoc nomen ob nigellum colorem sit impostum, quo ornati incedunt? Cumque Numidae a Graecis acceperint nomen, et Maurorum graecum esse probabili ratione suspicamur, de AETHIOPIBVS quid dicam? Hos ab orientalibus populis Ludim esse vocatos decem argumentis Bochartus probat. o) Qui vero, vt alias solet, nullam Aethiopiae dat deriuationem. Et hoc nomen quidem, cum eo Graeci tantum autores vtuntur, a Graecis quoque ortum esse, iudico, qui et ipsi sibi hoc vindicant, tradentes, Aethiopiam ab Aethiope quodam, Vulcani filio, nominis originem traxisse. Aliam vero, et quidem facilem interpretationem nobis suppeditant duae voces, αἴθος, aestus, et ἄψ, aspectus, quibus coniunctis, Aethiopes vi vocis erunt populi, qui aspectu et vicinitate solis torrentur, a Plinio propterea nigriti dicti. p) Quis vero mirabitur Graecos in Africa maeniri, cum non solum Herculis ara ibi posita esse dicatur a Plinio, q) sed et Hesperidum horti ibi a Poetis collocantur, et ii quidem, vbi aurea mala, et vbi anguis latuit ab Hercule occisus? Ad LIXVM vero, oppidum Mauritaniae, stetisse, et filias Hesperii, fratris Atlantis, habuisse cultores dicuntur. r) Eam vero ob causam haec in medium prolata sunt, inde vt cognoscatur, Graecis commercium cum Africa fuisse. Quibus addo Solini testimonium, qui in eo est, vt studiose probare curet, externos in Africa plurimos conuentasse, et argumentum dat de vrbibus et locis, quales sunt, Boriōn promontorium, quod Aquilone caeditur, et graeci aduenae sic vocauerunt, vt igitur a βορέας, aquilo ventus, originem ducat. Pergit Solinus hisce verbis: Porro Hipponem, Rhegium postea dictum, item Hipponem alterum, de interfluente freto Diarrhyton nuncupatum, nobilissima oppida equites graeci condiderunt. Clypeam ciuitatem Siculi extruunt, et Aspida primum nominant. Veneream etiam, in quam

Ve-

l) v. *Miscell.* Lips. I. c. p. 150.m) *Solinus* I. c. c. 29.n) v. *Sam. Bocharti Geogr.* S. P. II, L. I.

c. 15. p. m. 544

o) v. *Bochart.* I. c. P. II, L. IV. c. 26.

p. m. 299.

p) *Plinius* I. c. L. V. c. 8.q) *Plinius* I. c. L. V. c. 1.r) *Plin.* I. c. L. V. c. 1. et Libr. XIX.c. 4. *Diodor. Sicul.* in Bibl. Libr. V. c. 2.*Natalis Comes* in Mythol. L. VII. c. 7.*Solinus* I. c. c. 27.



Veneris Erycinae religiones transfulerunt. Achaei Tripolin lingua sua signant de trium urbium numero, Taphrae, Abrotoni, Leptis magnae Philaenis fratribus a laudis cupidine graium vocamen datum. s) Praeterea Diodorus Siculus plurimos in Africa enumerat populos, quibus Graeci nomina dederunt: mentionem enim facit ICHTYOPHORVM, qui ora maritima incolentes maxima ex parte piscibus vitam sustentant ab ἰχθύς, piscis, et Φάγω, comedo; CHELONOPHAGORVM, qui in Insulis Africae proximis habitantes χελώνων, testudinibus, pro cibo vtuntur; RHIZOPHAGORVM, qui radicibus viuunt; SPERMOPHAGORVM, quod Seminibus et fructibus arborum vescuntur; HYLOPHAGORVM, quibus ὕλη seu teneri arborum rami pro cibo sunt; GYMNOTVM, a γυμνός, nudus, ita vocatorum, quod nudo corpore incedunt; STRUTOPHAGORVM, qui Struthortum, et ACRIDOPHAGORVM qui locustarum deliciis capti; CYNAMOLGARVM, qui κύνες, greges canium siluestrium, alunt. t) Quibus e Pomponio Mela alia plurima addi possunt, e. g. MACROBIL, qui vitae spatium dimidio fere, quam nos, longius agunt; AVTOMOLOE, qui ex Aegypto in illam regionem venerunt, ab αὐτομολέω, transfugio: TROGLODYTAE, a τρέχω, curro, et γλώσσα, quod lingua currunt, et rident magis, quam loquuntur. u) In Aegyptia olium Canalis, Herodoti vero tempore, lacus fuit nomine MOERIS dictus, forsitan a μοιρέω, diuido, quod diuidit terram. Nec silentio praeteream Dioscorum, portum ad sinum arabicum, a Διοσκώρειος, Diospolin, seu Διός, Iouis urbem, HERMOPOLIN, seu ἑρμῆ, Mercurii, urbem, CYNOPOLIN seu κύνων, canum, urbem, Aegyptiae oppida; Item CATABATHMVM ob decliuitatem ita dictum oppidum, quia terra hic in vallem deprimitur; praeterea NEVSTADIVM, quae est statio nauium in prouincia Africae Cyriana; portum ZEPHYRIVM ob ventum fauonium, qui ibi flat, ita dictum; LOTOPHAGOS, quibus λωτός arbor dulcem cibum praebet, quem Vlyssis etiam socii gustarunt, vt, nisi verberibus adacti, ad naues redire noluerint; w) ADVLITAS, gentes liberas, ab α priuatiuo et δῆλος, seruus, dictas, et alia plura.

In Asiam excurro, vbi SYRIA est regio insignis, quae fuit tractus, ab Amano monte ad Libanum vsque procurrens. Eam originem nominis sui ab Assur ducere, quidam docent. x) Cum vero hoc a Graecis acceperimus nomen, et non vnicam prouinciam, sed plures, ipso Plinio teste, y) non vnicam gentem, sed diuersas amplectatur, Geographis graecis huius nominis inuentionem ad-

b 2

scri-

s) v. Solinus l. c. c. 40.

t) v. Diodor. Siculus l. c. L. IV. c. 3.

u) v. Pomp. Mela l. c. L. III. c. 9. et l. I. c. 8.

w) v. Homerus Odyss. l. v. 91. seq.

x) v. I. M. Hassi Reg. Dav. et Salom. Descript. p. 242.

y) Plinius l. c. L. V. c. 12.



scribendam esse credo, qui facili negotio id a *σύω*, traho, effingere potuerunt; terrae tractum, alias plures provincias amplectentem designaturi. Addita voce *κλίση*, concava, sit *κοιλησυγία* seu COELOSYPRIA, quali concava, ita dicta, quod intra Libanum et duo eius brachia, qui Coelosyriam includunt posita est. z) Cui Etymologiae inde accedit pondus, quod Syriae contermina provincia omnium confessione graecae originis nomen habet; et ea quidem MESOPOTAMIA, quae duos fluvios insignes interiaccens, Tigrim et Euphratem, a *μέσος* et *ποταμός* cognominata est. Et altera quoque Syriae confinis regio iridem nomen Graecum accepit: PHOENICE enim τῶν *Φοινίκων* s. regionem palmarum esse, a *Φόνηξ*, palma, Origines et Augustinus, item Relandus et alii iudicarunt. a) Et Phoenice certe palmis abundat. b) COMMAGENE pars Syriae fuit, et abrupta quidem, quasi a *κόμμα*, pars, fragmentum, et *γῆ*, quae situi illius provinciae maxime respondet interpretatio: est enim ab altera parte Amano monte, ab altera Euphrate, a tertia Tauro inclusa. Vrbs Syriae-HELIOPOLIS, olim Bahala, et ab Arabibus hodiernum Balbec dicta, graecae esse denominationis, clare patet. c) SAMOSATA, vrbs provinciae Commagenes in Cattarractis Tauri montis sita, a *σάμοι*, fastigia, apprime deduci potest. ZEUGMA, eiusdem provinciae oppidum, a *ζεύγμα*, pons, derivatur, quod ibi, teste Strabone, d) Euphratem ponte transire solent. Provinciae in Syria PIERIS nomen a *πίεσις*, pinguis, dives, RHOSO, vrbi eius provinciae, a *ρίνω*, firmo, ARETHUSAE Syriae oppido, ab *ἀρέθω*, irriigo, quod ad flumen Orontes exstruxerunt, datum esse, afferere haud ineptum censerī potest. ARMENIAE nominis variae producantur derivationes: e) et meam interponere liceat, a Graecis, haud longe ab ea remotis, nomen accepisse, ab *ἀρμη*, compages, quoniam est terra extensa, et compagine quasi cohaerens. Et Graecos illuc venisse, Strabo nobis ex aliis autoribus reliquit, affirmantibus, quosdam ex gente Arcadiae, qui Parrasii vocantur, cum Anariacis in Media ad fines Armeniorum sedisse, nomine etiam suae originis retento; Aenianas quoque ex Epiro, ἐν *Βίρρα* urbem condidisse, quae conditorium nomen seruet, et Aniana dicatur, vbi etiam arma, vasa et sepulchra Graecorum conspicienda sunt. f) Quin ipse statim citatus Strabo variis argumentis evincere conatur, Medos Armeniosque e Thessalis, Graeciae populo, ortos esse. g)

Colo-

z) v. *J. M. Hase* I, c. p. 281.a) vid. *Origines Homil.* 6. T. I. operum; *Augustinus* super Exod. qu. 83. It. *Relandi* Paclst. p. 37. *S. Bocharti* Geogr. p. 341.b) vid. *Relandus* I, c. p. m. 282,c) vid. *Cellar.* I, c. T. II, p. 401.d) v. *Strabo* L, XVI, p. 711.e) *C. Cellar.* I, c. T. II L, III, c. II, p. 375.f) v. *Strabo* I, c. L, XI, p. 488.g) v. *Strabo* I, c. L, XI, p. 509. 510.



Colophonem addere huic pertractationi cogito, ne limites excedam, paucis quibusdam explicationibus denominationum additis, quae in extremis Asiae et Europae terminis se considerationi nostrae offerunt. Ibi certe plurima extant locorum nomina, quae omnium confessione graeca sunt, e. g. HIPPOPHAGI, ab ἵππος, equus, et Φάγω, quia ea gens Sarmatica carne equina vescitur; AMAXOBII, ab ἀμαξία, plaustrum, et βίος, quod plaustris pro domibus utuntur; ANTHROPOPHAGI, qui a carne humana non abstinent, et GALACTOPHAGI, qui lacte viuunt; NOMADES, id est, pastores. HYPERBOREI sunt populi, qui ὑπὲρ Βορέων habitant, et ultra Rhiphaeos montes Solinus collocat, regionem πτεροφόρον, cui a πτερόν, penna, et Φέρον nomen factum, quod aer continuis niuibus, quasi pennis plenus inuenitur. i) SARMATAE, vel ut Graeci loquuntur, Sauromatae, gens Aquilonis notissima, nomen a σαύρες, lacerta, et ὄμμα, oculus, accepisse dicuntur, quod oculis lacertarum ab aliis populis discriminantur. k) His Etymologiis luculentis ex ipsis antiquitatum monumentis alias addimus coniecturis inuestigandas. Paludis MAEOTICAE, apud omnes geographos notissimae denominationem, si e Graecia arcessimus, minus forte errabimus. MAEOTI enim nomen non Scythas dedisse, sed eam lingua sua Temerindam vocasse Plinius auctor est l) Si igitur non ab accolis venit, unde, quam a Graecis, originem habebit, quos ex aliis exemplis plurimis scimus, nomina sua locis barbaris, etiam longissime remotis imposuisse? Et huius paludis interpretationem maxime congruam, ut mihi quidem videtur, nobis verbum μέσομας suppeditat, quod est confluere, concurrere, et Moeotis certo confusus est aquarum, cum in eum Tanais, fluuius insignis, Pamardis, Rhombites maior et minor, Psates, et Vardanus fluuii conflunt. m) Nec TANAIS, quem Strabo Europae et Asiae terminum constituit, a Scythis accolis nomen habet, qui hunc amnem, eodem Plinio teste, Silin vocarunt, n) cui igitur graeca origo itidem assignanda erit: quae vero magis congruit, vix poterit inueniri vox graeca, quam τένω, extendo, vel potius ταναός, longus, extensus, inde eam ob causam nomine hoc imposito, quod longo tractu ex Rhiphaeis montibus ad paludem Moeoticam descendit, cuius etiam fontes ignorarunt, et in diffusa loca reiecerunt prisci Geographi. o) Tanai iungimus BORISTENEM, flumini Sarmatiae in Europae terminis, cuius inde deriuationis originem voces graecae Βορέας, aquilo, et ὕδατος, praebent, ut fit flumini, ad aquilonem vltimus, quem Graeci nouerant. HYPANIS amnis

b 3

potuit

i) v. Solinus l. c. c. 25.

k) v. Roberti Stephani Diction, etc. ad vocem sarmatae.

l) v. Plinius l. c. L. VI. c. 7.

m) v. Strabo l. c. L. XI. p. 473.

n) Plinius l. c. L. VI. c. 7.

o) v. Strabo l. c. L. XI. p. 473.



potuit nomen accipere a voce ὑπράνεις, dimittens; RHOMBITES, effundens aquas suas in Paludem Moeticam, a ῥομβία, fundae in modum voluo, quod per varios sinus et anfractus se voluit; RHA ad Caspium mare cursum suum dirigens, a ῥέω, fluo; OXOS, eodem tendens, ab ὄξυς, velox, quia celeri fluxu aquas ducit. IMAVS mons est, qui Indiam a Scythia discriminat, et nominis causam in ἱμαίων, lorum, inuenit, cum se in modum lori flectit. SACAE gens fuit olim celeberrima, quae vicinis variis incurfionibus molesta praedando victitabat, p) et inde a σακίω, depeculor, furor, explicationem eorum viuendi generi maxime conformem accipere conicio. ALANI, Scythica gens, vt Sacae, natales nominis sui forsitan debebant verbo ἀλάομαι, quod significat errare, circumuerti, et gens certe fuit nunquam suis sedibus contenta, sed nouis semper intenta. Inde ROXALANI, eorum vicini et focii, addita voce ῥῶξ, rupes, priori, populi erunt, qui in cauitibus oberrant. THRACES a Plinio validissimae Europae gentes vocantur. q) Quod nomini eorum respondet, si hoc a θρασύς, quod est temerarius, deriuamus. DAAE nominantur ex Scythis quidam: apud Graecos vero vox occurrit δαία, quae significat horrenda, si ab ea Daas nominis sui ortum habere, putamus, nil, nisi quod ipsorum naturae conuenit, ipsis imponimus. Iidem illi SPARNI cognominati sunt, forsitan a σπάρηνος, dispersus, cum populi sunt sparsim habitantes. Ad MYSIAM interpretandam in graeca lingua habemus vocem μύσος, abominabilis, ita vt Mysi a Graecis dicti sint scelerati et abominandi. SI PANNONIAE Graeci nomen imposuerunt, forte deriuarunt a πάν, totum, et ὀνέω, moueo, et gentem designarunt, quae semper se mouet, et nunquam quietam fedet.

Coronidis loco addo, in INDIAM certe, ante Alexandri in eam excursum Graecos penetrasse, et hoc urbem Nicaeam probare, quam ibi Alexander, et extra Gangem quidem, in vltimo fere Asiae termino non condidit, sed iam ante suum aduentum conditam inuenit, r) quam a victoria nomen traxisse graecum facile cognoscitur; Graecos vero illuc, et cum exercitu quidem, qui victoria pugnando potiri potuit, venisse, et illam inaedificatam possedisse, necesse est. Ipsi Indiae nomen graecum esse videtur ab ἐντόν, seu ἐνδοί, intus, et est ea regio, quae in interiori Asia sita est.

Sed satis iam est coniecturarum, quas eadem libertate in medium protuli, qua alii vsi sunt, interpretationes magis contortas et remotas nobis obtrudenden-

p) v. Strabo l. c. L. XI. p. 491.

q) v. Plinius l. c. L. IV. c. 11.

r) v. C. Cellarius l. c. Tom. II. p. 801.



dentis, et graeca lingua in explicandis propriis locorum nominibus adhibita, viam elegisse mihi videor tutiorem illa, qua vel ex Ebraea, vel Arabica vel alia lingua ea nobis explicantur nomina, quoniam notitiam a Graecis accepimus, qui more, non quidem laude digno, veterum nominum vestigiis oblitteratis, noua, ex propria lingua defumta, imponere solebant. s)

---

Ad ea me rursus conuerto, quae commentationis praemissae exarandae occasionem suppeditarunt, et ad TE, Gener dilectissime, paucis redeo, munera Tibi grauiissima oblata gratulaturus. Ex adamata discedis patria terra Serenissimi nostri Electoris, FRIDERICI AVGVSTI, Domini nostri gratiosissimi, et, relictis amicis dilectissimis, peregrina TE suscipit prouincia sub principatu Serenissimi CAROLI, Ducis Brunsvicensis clementissimi, TIBI gratiam, honorem, beneuolentiam et amorem exhibitura. Quo simul academicam ingrederis vitam, labores alios ad munera sacra praeparandi suscipiendo; et praeter animarum curam pastoratui annexam, etiam ecclesiarum Inspectio TIBI demandatur. Quod si vero vnum sat graue ex iis censendum est officium, quanto maiori molestia coniunctum erit triplex hoc humeris TVIS impositum onus. Eo igitur maiori studio vires TIBI apprecandae sunt, Deusque rogandus est, TIBI vt adsit, TE virtute sua sustentet, sapientia ducat, et gratia sua fulciat, vt ea, quae TIBI incumbant, promte et feliciter exequaris. Quibus vero in votis aequae minus, ac in amore, quo TE complector, ab alio me vinci patiar, qui continuis precibus summum inuocabo nomen, TIBI vt sit semper auxilio, robori, salutis, et vires oneri ferendo pares largiatur. Eo vero modo in communione

s) v. *Ammianus Marcellinus* L. XIV. I. M. *Hafius* 1, c. p. 752.



QK Tt 48 x 3293549

16

ne orationis, amoris et spiritus **TECVM** persistens, absentiae longioris taedium perfero, ita **TECVM** vnitus, et de diuinae gratiae auxilio certissimus, quod semper expertus es eximium, et experieris in posterum. Hilari igitur animo transeas ad aggrediendum **TIBI** a Deo commissum opus; transeas amore diuino **Tvorvmqve** comitatus. Maeste virtute esto, et spe confisa Deo, cuius ductu iter ingrederis, et munera suscipis, ita, vt in administrandis eis gratiam eius, qui **TE** misit, et dotibus instruxit, manifestatam semper agnosces efficacem. Quam tesseram amoris **TIBI** discedenti comitem dedi. Zuiccauiac, d. IV, Iulii MDCCLXX.




mi



Pl. 531 26

B. m. II

II c  
48



SVO DILECTISSIMO  
VIRO  
CRENDO AMPLISSIMO  
DOCTISSIMO  
**FRIDERICO  
HAKOPF**

LOGIAE DOCTORI  
PRIMARII SVPERINTENDENTIS  
PROFESSORIS THEOLOGIAE  
ORDINARI  
**STADIENSIS**  
GRATVLATVR  
SIMVLQVE  
PECIMEN  
YMOLOGICARVM CIRCA NOMINA  
VM VRBIVM ET FLVVIVRV  
GRAECA DERIVATA

OFFERT  
**OTTFRID WELLERVS**  
TENDENS ZVICCAVIENSIS  
ANNO MDCCLXX

AE TYPIS HOEFERIANIS

